S.MI D. N.
D. CLEMENTIS
PAPAE VIII.

Facultas celebrãdi Feſtũ die xx. Aprilis B. AGNETIS Virginis de Monte Politiano, Monialis Ordinis S. Dominici in quibuſcũq; Eccleſijs tam Virorum, quàm Mulierum eiuſdẽ Ord. In qualibet Orbis parte exiſtentibus,

Cum approbatis Lectionibus recitandis.



ROMAE
Apud Typographos Camerales. M D C I.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO HENRICO FRANCORVM REGI CHRISTIANISSIMO.

CLEMENS PAPA VIII.

CHARISSIME in Chriſto fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ardentiſſimum illud ſtudium, quod ſicuti nomine tuo per tuum ad Nos, & Sedem Apoſtolicam deſtinatum Oratorem nobis ſignificatum, & per Dilectum Filium noſtrum Arnaldum Cardinalem Doſſattū illius in abſentia ſua viceſgerẽtem expoſitum eſt. viget in Dilecta in Chriſto filia Eleonora Borbonia Generali Abbatiſſa totius Ordinis Fontisebrandi Sancti Benedicti, & Amita tua, ac olim Prioriſſa domus, ſeu Monaſterij de Pruliano Ordinis Sancti Dominici ſub cura Fratrū Prædicatorū collaudandi Beatā, vt piè creditur, AGNETEM Politianā, eiuſdem Ordinis profeſſam, ſuo quaſi iure poſtulat, vt admiranda ipſius Beatæ AGNETIS vita ab omnibus dicti Ordinis Prædicatorum Profeſſoribus in toto Orbe eodem animi ſenſu, ac præcipuo quodā cultu concelebretur. Cum itaq; dudum ſę: recor. CLEMENS PAPA VII. Prædeceſſor noſter Priori, & Fratribus domus dicti Ordinis Præd. ac Communitati, & Hominibus Ciuitatis Montis Politianeñ tunc Oppidi Montis Politiani nullius Diœceſ. vt eandem Beatam AGNETEM in Eccleſia dictæ domus, in qua ſepulta eſt, & cooperante Altiſſimo quāplurimis fulgebat miraculis, & alijs dictæ Ciuitatis Eccleſijs, ac ipſa Ciuitate tantum, priuatim, & publicè, ac ſolemniter venerari, & colere, necnon de illa officium proprium celebrare, ac ſolēne Feſtum facere liberè, & licitè valerent, per quaſdam die 28. Maij Pont. ſui Anno nono, deſuper confectas literas conceſſerit, & indulſerit; ac nouiſsimè Nos Priori, & Fratribus quibuſcūq; dicti Ordinis Præd. in dicta Ciuitatē Montis Politianeñ commorantibus vti in officio, quod die 20. Aprilis ſub duplici ritu celebrant nouēm Lectiones in ipſo officio ex vita dictæ Beatæ AGNETIS depromptas iuſſu noſtro à Venerabilibus Fratribus noſtris Sāctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Congregationi Sacrorum Rituum Præpoſitis examinatas, & à nobis approbatas iuxta ipſorum ritum legere, & recitare liberè, & licitè poſſent, perpetuò etiā conceſſerimus, & indulſerimus prout in dicti Prædeceſſoris, ac Noſtris, die 18. Octobris Anni Domini Milleſimi quingenteſimi nonageſimi quarti, Pontificatus noſtri anno tertio deſuper confectis literis in quibus tenor dictarum lectionum inſertus fuit pleniùs continetur. Nos, qui ſingulos Chriſtifideles ad deuotionis actus libenter inuitamus, tenores dictarum ſingularum literarum, perinde ac ſi de verbo ad verbum infererẽtur pręſentibus pro expreſsis habentes, ac intuitu, & cōtemplatione Dilectorum Filiorum Noſtrorum Franciſci Mariæ Tauruſij, ac Cęſaris Baronij, & Roberti Bellarminij nuncupatorū Sanctæ Romanę Eccleſię Presbyterorū Cardinaliū nobis deſuper humiliter ſupplicantiū, ex ſententia Cardinaliū dictæ Congregationi Sacrorū rituū Prępoſitorum indultum, & conceſsionem dicti Prædeceſſoris, ac illius, & noſtras literas pręđictas ad omnes, & ſingulas dicti Ordinis Pręđicatorum vtriuſq; ſexus, domos in quibuſcūq; Orbis partibus conſiſtentes, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò extendimus, & ampliamus, ita vt in omnibus, & ſingulis Eccleſijs domorum dicti Ordinis Prædicatorum, tàm Virorum, quàm Mulierum in Vniuerſo Orbe terrarum exiſtentium publicè ſolemniter, ac priuatim dictam Beatam AGNETEM venerari, & colere, necnon de illa officium proprium dicta die 20. Aprilis celebrare, ac ſolemne Feſtum facere ſingulis annis, etiam in Litanijs, Miſſis, & alijs Diuinis Officijs cum dictis nouē

lectio-

lectionibus liberè,& licitè valeant, idq; inſuper cõcedimus & indulgemus,necnon omnibus, & ſingulis locorum Ordinarijs, alijſq́; perſonis, ne Fratres,& Moniales dicti Ordinis Prædicatorum deſuper moleſtare, aut perturbare, vel impedire præſumant,diſtrictiùs inhibemus, non obſtantibus omnibus, quæ dictus Prædeceſſor in ſuis , ac Nos in Noſtris Literis prædictis voluimus non obſtare cæteriſq́; contrarijs quibuſcũq;. Cęterùm quia difficile foret præſentes Literas ad ſingula quæq; loca deferri , volumus , & dicta auctoritate decernimus vt earum tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prioris Prouincialis dicti Ordinis Prædicatorum munitis ea prorſus fides adhibeatur , quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Tenor autem dictarum nouem Lectionũ eiuſmodi eſt. Lectiones proprię pro Sancta Agnete Politiana deprompte ex vita eiuſdem Sanctæ Virginis , quàm fideliter ſcripſit Beatus Raymundus Magiſter Generalis Ordinis Prędicatorum , cuius feſtum duplex celebratur xx. die Aprilis. Lectio prima pro Patribus Ordinis Prædicatorum. Agnes Virgo integerrima Ordinis Sancti Dominici in Pago quodam Vrbis Montis Politiani humilibus quidem, obſcuriſq́; parentibus,ſed locupletibus, ac pijs nata eſt. Eius ortus inſigni miraculo nobilitatus , quantam lucem Orbi terrarum eſſet allatura pręmonſtrauit , qua enim hora ex Aluo materno prodijt cereæ faces apparuerunt in eo conclaui accenſæ diuinitus, ſępè ſe infantula adhuc luſibus puerilibus neglectis abdebat , vt ſe Iesv Christo, quem iam tum ſponſum ſibi delegerat ex animo commendaret. Quo tempore cum aliquando è ſuo Pago Montem Politianum petens ad Collem in Vrbis Pomerio ſitum veniſſet, vbi tunc infames quædam fęminæ turpi quæſtu vitam traducebant , tetri quidem, ſordidiq́; Córui quamplurimi deuolantes Christi ſponſam roſtro , & vnguibus ferire nitebantur, nimirùm impuri Dęmones iam tum præſentire videbantur quantum eſſet Agnes ipſorum conatibus aduerſatura. Lectio ſecunda pro Patribus Prædicatorum, Nonum verò annum agens cùm à parentibus multis precibus impetraſſet, vt in eadem Vrbe in Sacro Virginum Cęnobio,cui à Sacco nomen erat, ſuo ſe ſponſo penitus traderet ; tanta cœpit alacritate tempus omne in præcationibus pijs ; ſacris lectionibus; alijsq; religioſis exercitationibus ponere,vt quantum poſſet,etiam corporis neceſſitati ſubtraheret,modeſtiam in primis, obedientiam, humilitatem ſemper coluit,mentis verò integritatem , corporiſq́; pudicitiam ſic adamauit, vt ad tantum theſaurum facilius conſeruandum tenellum adhùc corpuſculum vigilijs, ac ieiunijs exerceret. Lectio tertia pro Patribus Prædicatorum . Quarè tantis illam virtutibus ea præſertim ætate præditam,nõ modo cæteræ Virgines , & ęquales obſeruabant , ſed magiſtra etiam ipſa vnicè diligebat. Cum ad annum xiiij. perueniſſet Agnes ità iam erat animo cum Deo arctiſsimis charitatis vinculis iuncta , vt ſæpè inter præcandum nullis adminiculis nixa cubito à terra tolleretur, viſa eſt illi aliquando Dei Mater , treſq; pulcherrimos Lapillos dedit , cum diceret , ſcito filia te ante ſupremum vitæ diem ſacras mihi ædes excitaturam, quocirca hos tres exiguos Lapillos cape , & effice, vt quæuis tua ædificatio conſtantiſsimæ fidei indiuiduæ Trinitatis fundamento nitatur, Lectio quarta pro Patribus Prædicatorum, Deus igitur cum lucernam ardẽtem ſub modio nollet latere diutiùs mira quadam ratione conſtituit , vt ſuper candelabrũ poſita cæteris quoq; virtutum ſplendore præluceret ad nouum enim Cœnobium ſacrarum Virginum inſtituendum in Oppido vulgò Proceno intra fines Oruieti cum ſua magiſtra Margarita delecta eſt . Verùm Agnes ob eius eximiæ vitæ ſanctitatem, ſenilemq; prudentiam, & ſi annum quintumdecimum nondum exceſſerat , Summi Pontificis iuſſu nuper inſtituto Cœnobio, vel inuita præficitur. Multò tamen ipſa cœpit ardentius pietatis , atq; virtutum omnium ſtudia colere. Eius lectulus nuda humus , ſaxum durum fuit illi ceruical. Annos ipſos quindecim ibidem perpetuò ita ieiunauit quotidie , vt ſolo eſſet Pane , atq; Aqua contenta, à Deo ſæpè præcabatur, vt vellet ætatis ſuæ imbecillitatem in regendo Monaſterio compenſare. Præcandi verò numinis tanto ſtudio tenebatur, vt magno animi dolore à dulci contemplationis otio diuelleretur. Lectio quinta pro Patribus Prædicatorum . Sæpè autem obſeruatum eſt eius Pallium cum ab oratione ſurgeret rore quodam candido reſperſum,cuius guttæ ſingulæ Crucis effigiem referebant. Quin,& eodem manna , tùm ara maxima , tùm pauimentum omne contectum repertum eſt eo die,quo Epiſcopus, cũ Clero, ac Populo eius Oppi

di ad

di ad conſecrandū Chriſti ſponsā ingreſſus eſt, & interdū locus vbi genua ad præcandū ponebat ſubito enatis floribus, violiſq; pulcherrimis ornabatur. Dū oraret aliquando à Beatiſſima Dei Matre filium IESVM forma lactantis infantis accepit, eumq; aliquandiu ſinu complexa, paruulam Crucem tenui filo nexam ab eiuſdem collo recedentis detractam meruit retinere; quæ extat adhùc in Eccleſia, vbi requieſcit eius integrum ſacratiſsimum corpus. Lectio ſexta pro Patribus Prædicatorum. Sæpius AGNETI Sacroſanctam Euchariſtiam Angelus ſua manu porrexit. Eius precibus, ac meritis dum adhuc viueret ab obſeſſis corporibus fugati dęmones, oleum, panis, pecunia multiplicata, aqua in vinum conuerſa, carnes in piſcem commutatę, ægri ſanati, extinctus puer in vitam reuocatus, ſpiritu etiā prophetico multa prędixit, & occulta cordis arcana cognouit. Annos iam nata triginta, & amplius ſuorum Ciuium rogatu cœleſti viſione, atq; Angeli Dei iuſſu monentis, ad Montem Politianum reuocata, alterum ſacrarum Virginum Cœnobium, ac Templum Dei Genitrici dicatum eo ipſo Colle, vbi meretrices antea fuerant, magna omnium gratulatione fundauit. Neq; ita multò poſt vni è noui Cœnobij ſororibus, quæ Mitis dicebatur viſum poſt effuſas ad Deum preces ſigno Crucis in eius oculis expreſſo reſtituit. Lectio vij. pro Patribus Prædicatorum. Tandem cum in grauiſsimum morbum incidiſſet AGNES ad Balnea Clanciani propinqui Oppidi deducta vix aquas illas eſt ingreſſa, cū Cœleſti quodā rore concreto, & inſtar niuis candido fuere contectæ, cuius particulæ ſingulæ Crucis figuram exprimebant. Ac noua quoque tunc aquæ vena ſcaturiens morbos omnes curare cœpit. Verum ipſa, quæ iam ad Cœleſtes à ſponſo nuptias euocabatur ad Cœnobium reuerſa ingraueſcēte morbo ſacras ſorores deplorantes tantæ Matris iacturam conſolata cum eas ad concordiam, & votorum obſeruantiam eſſet hortata, & oculis in Cœlū ſublatis ſpiritum Domino commendaſſet vitam hanc miſeram, & caducā cum beata illa & æterna commutauit, anno ſalutis M.CCCXVII. die Aprilis 20. ad mediam noctem. Lectio octaua pro Patribus Prędicatorum. Qua hora pueruli cubantes in lectulis varijs Oppidi vicis parentes ſuos illis vocibus excitarunt. AGNES Prior Monaſterij Beatę MARIAE Nouellę Beatiſsimę modo ex hac vita migrauit. Viſa eſt eodē die Angelorum Choro comitata Matronę cuidam grauiter, ac diu ex brachio laborāti, eamq; ad ſuum corpus exanime tangendum inuitauit. Quod cum illa feciſſet continuo dolor ex brachio omnis abſceſſit. Viſa eſt alteri Matronę ſuę familiari, quam cum ſuę glorię certiorem feciſſet eiuſdem liberos ægrotantes repente ſanauit. Tanta è ſacro AGNETIS corpore odoris ſuauiſsimi fragrātia poſt animę diſceſſum conſecuta eſt, vt etiam vicini ad gratias, laudeſq; Deo perſoluendas concurrerint. Lectio nona pro Patribus Pręd. paulòpoſt à ſummis integerrimę Virginis manibus, ac pedibus pręcioſiſsimus quidam liquor emanans veſtes etiam ipſas madefecit, quo varia morborū genera curabantur. Eius corpus incorruptum, integrūq; ſeruatur, & multis, ac magnis miraculis illuſtratur. Quod cum Sancta Catherina Senenſis inuiſeret aliquando, eiuſq; pedes religioſè deoſculari vellet, quippe quę à Deo pręmonita iam antea fuerat parem ſe gloriam cū Sancta AGNETE in Cœlis habituram AGNES alterum pedē extulit ad faciem vſq; Catherinę, quę cum per aliud tempus reuerſa ſe ad caput AGNETIS dimiſiſſet Manna inſtar niuis toto illo conclaui pluere cœpit eadem Crucis forma, qua ſolitum erat AGNETE viua, & orante decidere. Tu autem Domine miſerere nobis. Deo gratias. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 23. Februarij. M.D.CI. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

M. Veſtrius Barbianus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

570,232